



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

XXVI. De publicatione statutorum, & eorum copia habenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

nis, & incipit: Placuit diuinæ pietati, &c. cum aliis decretis, de qualificationibus in ordine promouendorum loquentibus. Supplicatur cum sacro Concilio ut declarare dignetur, quod vigore horum decretorum non intendit tollere inferioribus ordinariis tempus Lateranensis Concilii, quodque ante ipsius lapsum non habeat locum præuentio.

XXVI.

Quo hæc statuta non tradantur obliuioni, & ne quisquam ignorantiam valeat allegare, sed vt subditi possint in eis frequentius meditari, sub excommunicationis poena præcipimus & iniungimus omnibus abbatibus, præpositis, prælatis, & decanis, vt transcriptionem prædictorum & copiam totalem ac plenam habeant, & ea bis in anno de verbo ad verbum abbates & præpositi, conuocatis omnibus monachis & canonicis regularibus, & præpositi seu decani cathedralis & collegiata rum ecclesiarum, canonicis suis in vnum collectis; decani vero singuli in conuentu, collegio seu capitulo, suis confratribus omnibus, etiam non curatis, accersitis publicent, & perlegant, aut publicari & perlegi faciant. In contrarium, contra huius statuti neglectores seu contemptores inquisitio nem habebimus diligentem, poenas exactissime persecuturi.

Acta conclusa & approbata sunt hæc a sacra Synodo nostra episcopali, in ea nobis tunc personaliter præsidentibus, in aula nostra episcopali Frisingensi, die Veneris secundo mensis Septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. In quorum & rei sic gestæ robur & testimonium sigillum vicarius nostri præsentibus est impressum.

ANNO  
CHRISTI  
1440.

*Forma iuramenti soliti per testem synodalem præstari.*

Ego N. iuro, quod amodo & antea quidquam noui aut audiui, aut postmodum inquisitus sum, quod contra voluntatem Dei & totam Christianitatem in ista parochia, vel in isto meo decanatu, (si decanus iurat) factum sit aut futurum erit, si in diebus meis euenerit, cum ad meam cognitionem quocumque modo perueniat, si scio, aut indicatum mihi fuerit synodalem esse causam, & ad ministerium episcopi pertinere, quod ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter precium, nec propter parentelam, nullatenus celem episcopo meo aut eius missio, cui hoc inquirere iusserit, quandcumque me ex hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & haec sancta Dei euangelia; (si presbyter est.) Alias sic: Et illorum sanctorum reliquie.

ANNO  
CHRISTI  
1446.

## REFORMATIONES

CLERI DIOECESIS LEODIENSIS  
anno Domini MCCCCXLVI. tempore Eugenii papæ IV.  
per reuerendum patrem dominum Ioannem episco-  
pum Leodiensem factæ, & per capitulum maius Leo-  
diense sigillatae, ac postea per Nicolaum V. approbatæ.

*Vniuersis præsentia statuta visuris seu audituris Ioannes Dei  
gratia episcopus Leodiensis salutem in Domino sinceram.*

**Q**VAM VIS bona memoriae Adulphus episcopus Leo-  
diensis, prædecessor noster, ad extirpandum officia-  
riorum curiarum nostrarum, nec non curialium venerabilium vi-  
rorum, præpositi, capituli, \* archiepiscoporum nostrorum \* legendum  
archidiaconorum  
Leodiensium ipsas curias sequentium, abusus & excessus,  
quædam utilia statuta condiderit, quædam scilicet anno  
Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, mensis  
Septembbris die vigesima octaua; quædam autem anno eo-  
dem, sed mensis Octobris die septima; alia quædam anno  
a nativitate eiusdem Domini millesimo trecentesimo qua-  
dragesimotertio, mensis Iulii die nona: & illa mandauerit  
sub certis pœnis in eisdem adiectis in uiolabili obserua-  
ri. Illa tamen usqueaque obseruata non sunt: vnde gra-